



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard


Lvgdvni, 1654

Tractatvs VIII. Compositioni continuæ corporis naturalis quæ compositio
continua temporis respondeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

asimenter, siue incommensurabilis costæ in quadrato, & alia quauis figura: nec potest assignari certa aliqua dimensio, per quam mensurentur ambæ illæ extensiones, siue quæ toties sit in vna, ac toties in alia.

52. Quamquam autem, iuxta Doctrinam solutionis nostræ hætenus probatam, nequeat Deus destruere successiue partes indeterminatas continui bipalmaris verbi gratia, seruando porportionem cum infinitis durationibus determinatis æternitatis; at eas aliter, & absque ea porportionem, & ordine sumptas potest destruere successiue per totam æternitatem: & sic non videret Deus vnquam vltimam earum destructam, sed assignata quauis destructa superessent semper aliæ plures destruendæ; ad eum modum, quo in pœnis damnatorum vna semper subsequitur aliam, & ex ea veluti renascitur. Tandem apponunt aduersarij duplicis generis argumenta: alia, quibus in vniuersum probari consuevit, repugnare actui infinitum cathegorematicum secundum numerum: alia vero, quibus probatur, tempus haud posse constare ex partibus, sine fine diuiduis, & quæ à paritate rationis vim etiam habent in continuo permanenti. Sed ad posterioris generis argumenta fiet satis tract. sequenti huiusmet libri; & ad prioris generis inferius lib. septimo.



TRACTATUS VIII.

Compositioni continua corporis naturalis quæ compositio continua temporis respondeat?

CAPVT PRIMVM.

Tempus corporis naturalis, & cuiusvis alterius entis ex instantibus omnino indiuisibilibus, sed tamen non solis constare verius est.

1. **P**RIOR pars nostræ sententiæ, qua statuimus, aliqua esse in tempore quouis instantia omnino indiuisibilia, est omnium eorum scholasticorum, qui tumentur, esse in corpore naturali continuo aliqua puncta omnino indiuisibilia. Probatur autem primo authoritate sanctorum Patrum: ac in primis Augustini lib. 12. confession. cap. 28. ibi: *Quis neget, tempus præsens carere spatio.* Et lib. 11. confession. cap. 15. *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutissimas momentorum partes diuidi possit, id solum est, quod præsens dicatur; quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, ut nulla mora extendatur: nam si extenditur, diuiditur in præteritum, & futurum: præsens autem nullum habet spatium. Quid his clarius?*

2. Consentit, & quidem manifestissime, Basiliius Homilia 1. in Hexæmeron, vbi super ea verba Genes. in principio fecit, sic inquit ibi: *Creatio rerum momento minus perfecta est, citraque omnem temporis absoluta morulam: quandoquidem imparitile quiddam est principium, nec ulla interuallari dimensione à se toto dispescitur. Quemadmodum enim principium via via nondum est, domus quoque principium neuiquam censetur domus: itidem & prin-*

cipium temporis adeo tempus non est, ut ne eius quidem sit minima portio. Quod si vnus aliquis conuentione perniciaci astrueret, temporis principium esse tempus: is nouerit, ipsum principium oportere iuxta hanc positionem, diuidi in multas partes, nempe in principium, media, atque finem. Atqui res prorsus deridicula videtur, vel mente concipere principium principij. Hæc ille.

3. Quibus consimilia habet D. Isidor. Hispalensi. lib. 13. Etymolog. cap. 2. ibi; *Partes horarum admittunt diuisionem, quousque venias ad tantum temporis punctum, & quandam momenti stillam, ut per nullam morulam produci possit, & ideo iam diuidi non potest: hæc est atomus temporis.* Fauet etiam B. Hieronymus tom. 3. in epist. ad Minerium & Alexandrum ibi; *Quando enim dicit (supple, Paulus 1. Corinth. 15.) in puncto temporis & in motu oculi, atque momento futuram omnium resurrectionem, cunctam primæ, & secundæ resurrectionis excludit fabulam: ut alij primi, alij nouissimi resurrectioni esse credantur. Atomus autem punctum temporis est, quod secari, & diuidi non potest.* Nec minus apertè fauent Greg. Nissen. in lib. de officio hominis cap. 22. in hæc verba; *Punctum, & oculi momentum appellat (scilicet Paulus vbi supra) Extremum temporis terminum omnis expertem dimensionis, quique nullas in partes diuidi queat.* Et Damascen. in Dial. cap. 33. ibi; *Tria igitur sine quantitate; vinitas, & punctum, & nunc.* Eidem etiam sententiæ suffragantur Concilium fenonense, Iulius primus Pontifex, Cælestinusque etiam Pontifex, locis cap. sequente citandis, neque non etiam B. Anselmus hoc ipso cap. referendus. Patribus ac Pontificibus Ecclesiæ libet tandem accendere Senecam lib. 6. natural. quæst. cap. 32. ad finem ibi: *Fluit tempus, & audissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo.*

4. Rursus secundò prior illa pars nostræ sententiæ titulo capitis præfixæ probatur ex diuersitate, quam res habent in incipiendo, atque desinendo. Pro qua explicanda suppono, res bifariam incipere, & desinere esse; nimirum intinsece, aut extrinsece: incipere esse extrinsece est incipere per vltimum sui non esse; in hunc modum, *Nunc non est res, & immediate post erit.* Desinere esse extrinsece, est desinere per primum sui non esse, in hunc modum; *Nunc non est res, & immediate antea fuit.* Incipere esse intrinsece est incipere per primum sui esse, hoc pacto; *Nunc est res, & immediate antea non fuit.* Desinere esse intrinsece, est desinere per vltimum sui esse, hoc pacto; *Nunc est res, & immediate post non erit.* Inceptio & desitio intrinseca, siue per esse rei primum aut vltimum, eiusmodi appellatur, quia esse rei ei intrinsecum est: inceptio verò, & desitio extrinseca, siue per primum, aut vltimum rei non esse, eiusmodi etiam vocatur, quia non esse rei re vera ei extrinsecum est. Porro, sicut in præfatis propositionibus voculæ *fuit*, & *erit*, significant solas partes temporis, ita etiam vocula, *nunc*, iterum atque iterum repetita solum instans indiuisibile denotat.

5. Suppono deinde, res omnes simul, & non successiue productas incipere, & desinere esse intrinsece: simul enim producuntur: ergo in instanti: ergo de iis verum est, *Nunc sunt, & immediate antea non fuere.* Eademque ratione, *nunc*

nunc sunt, & immediatè post non erunt. Produ-
cuntur autem, destruunturque simul res om-
nes indiuisibiles, eo quod careant partibus, quæ
successiue & vna post aliam producantur, de-
struantur: necnon qualitates diuisibiles con-
trario carentes, quo earum tota, & simultanea
productio impediatur, aut consimilis destructio
promoueat, quales sunt lux, intellectio, vo-
luntio, & sensio, ac tandem forma substantialis
vitalis, quamuis diuisibilis censeatur, in deter-
minatam materie partem vltimo dispositam mi-
nimi naturalis nomine appellatam tota simul
introducitur, eodemque modo ab ea expellitur.
E contrario verò res omnes successiue productæ
incipiunt, & desinunt esse extrinsecè: si enim ex-
trinsecè, & per primum; aut vltimum sui esse in
aliquo instanti inciperent, aut desinerent, sanè non
successiue, sed simul quoad aliquam sui partem
producerentur, ac destruerentur. Quæ autem suc-
cessiue producantur, sunt qualitates omnes, quæ
contrarium habent, & motus localis, qui, licet
contrario careat, ratione tamen spatij interiecti
successiue produci, & mobile prius in vna parte
spatij quam in alia collocare debet. De his, quæ
diximus, tum hoc numero, tum etiam præce-
denti huius cap. qui plura velit; adeat Patrem
Suar. de Sacrament. tom. 3. in 3. p. disp. 8. sect. 2.
necnon Conimbricenses, Toletum; Rubium,
Pererium, & Hurtadum in physica. Supposita
ergo eorum, nostræque doctrina paulo superius
breuiter explicata, sic arguo. Res omnes indi-
uisibiles, necnon qualitates diuisibiles contra-
rio carentes; formæque substantiales vitales in
hoc saltè rerum ordine simul, & instanti omni-
no indiuisibili incipiunt, seu producuntur, ea-
demque ratione destruuntur ac desinunt esse, vt
suprà efficaciter est probatum: at id fieri non
posset, si non darentur in tempore instantia pro-
fus indiuisibilia: ergo &c. Tertio probatur prior
illa nostræ sententiæ pars; quia in continuo per-
manenti dantur indiuisibilia, vt ostensum est
suprà tractat. 4. capite 3. & 4. quidni ergo den-
tur in continuo successiuo? Et quidem rationes
Authorum ea non minus in hoc posteriori conti-
nuo, quam in illo priori negantium in simili so-
luta sunt à nobis loco proximè citato.

Iam vero posterior nostræ sententiæ pars, ni-
mirum tempus haud componi ex solis indiuisibi-
libus, seu momentis prorsus talibus, est ferè eor-
um omnium philosophorum, qui defendunt
continuum permanens ex solis punctis omnino
indiuisibilibus haud coalescere. Dixi, ferè, pro-
pter Patrem Ouiedo, qui controu. 17. phys.
punct. 11. n. 3. probabilius putat, tempus non
constare nisi ex instantibus omni ratione impar-
tibilibus, & tamen continuum permanens ma-
gis ex partibus sine fine diuiduis, quam ex solis
punctis nulla ratione secabilibus, aut extensis
componi. Sed enim quod inconsequenter pro-
cedat, quodque vera sit, vt dixi, posterior opi-
nionis nostræ pars, hunc in modum suadetur.
Namque cur de vtroque continuo eodem modo
philosophandum non sit? an quia, vt ait Ouie-
do vbi suprà difficultates contra nos, & Ari-
stotelem impresentiarum obiici solita, magis
urgent in continuo successiuo, quam in per-
manenti: at hoc falsum esse constabit, cap. 4. hu-
ius tractatus? an solum, quia vtriusque dispar
est natura, atque conditio? vnde fit, alterum ex

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

solis indiuisibilibus, non alterum coalescere:
at etiam hæc ratio nulla est: quia quod diuersæ
sit naturæ vtriusque continuum, arguit qui-
dem, indiuisibilia vtriusque diuersa esse: non
verò alteri indiuisibilia sola, & non alteri inesse:
aliàs eadem ratione defendi posset, aquam ex in-
diuisibilibus solis coalescere, secus verò ignem;
nimirum, quia hic, & illa non est eiusdem genij,
& naturæ.

Secundò probatur eadem posterior nostræ sen-
tentiae pars: quia instans omnino indiuisibile
additum alteri non facit maius: ergò maius suc-
cessiue tale, siue tempus haud poterit coalescere
ex solis instantibus prorsus indiuisibilibus. Con-
sequentia est perspicua. Probatur antecedens:
tum à paritate punctorum continui permanen-
tis, quorum nullum immediatè additum alteri
posse facere in suo genere maius probatum est
suprà tract. 5. cap. 1. tum etiam auctoritate An-
selmi in lib. de Incarnat. cap. 8. ibi *Punctum in
puncto non est, nisi punctum: habet enim pun-
ctum, velut medium, punctum mundi, velut pun-
ctum temporis, id est, presens tempus, æternita-
tis nonnullam similitudinem, non parum ad eius-
dem æternitatis contemplationem utilem. Vnde
latius aliàs disputandum est, hic tantum hoc suf-
ficiat, quia punctum simplex, id est, sine partibus,
& indiuisibile est velut æternitas: & ideo pun-
ctum cum puncto sine intervallo non est nisi vnum
punctum; sic æternitas cum æternitate non est nisi
vna æternitas.* Hæc Anselmus, quibus nihil cla-
rius, aut subtilius.

Tertiò probatur illa met posterior opinionis
nostræ pars: quia si tempus indiuisibilibus pro-
fus talibus constaret, eademque ratione conti-
nuum permanens ex punctis, sanè nullus mo-
tus esset velocior alio, vt suprà tractat. 5. fuse
ostendi: Imò & si continuum permanens ex
punctis indiuisibilibus Physicè, & Mathemati-
cè non constaret, sed vel ex partibus virtualiter
extensis; si tamen tempus ex instantibus omni-
no indiuisibilibus constaret, motusque quiuis
in instanti fieret, certè non posset motus circuli
superioris velocior esse motu circuli inferioris,
absque rotæ diruptione, aut flexione, vt etiam ci-
tato tract. 4. de monstratum.

Quartò denique suadetur id ipsum, quod po-
steriori loco adstruximus: quia omne tempus bi-
fariam, id est, in duas partes æquales diuidi po-
test; at si instantibus finitis duntaxat constaret,
ita haud esset diuiduum: ergo &c. Maior sua-
detur, quoniam omnis quantitas permanens bi-
fariam diuidi potest, vt constat ex Euclide lib. 1.
proposit. 9. & 10. ergo & omnis quantitas suc-
cessiue siue tempus omne. Minor vero perspi-
cua est: quia tempus constans quinque in-
stantibus bifariam, siue in duas partes
æquales diuidi non potest; id eo quod
numerus non par, sed im-
par est, & ap-
pellatur.

CAPVT II.

*Tempus corporis naturalis, alteriusue
liius rei, ne etiam ex solis instantibus
physicè indivisibilibus, sed vir-
tualiter diuisibilibus, &
inflat, extensiusue con-
stare verius est.*

9. **P**Robatur primò, & nisi fallor euidentissi-
mè: quia aliqui darentur morulæ, dum
descendit lapis in centrum, in tali eius des-
censu, ac motu: nam morari lapidem est vbi-
cationem lapidis in vno, & eodem spatio lo-
ci per aliquod tempus durare: at, dum la-
pis descendit in centrum, eius vbiatio A. verbi
gratia, motu producta duraret per aliquod
tempus determinatum, & non quaecunque,
aut penè indivisibile, sed diuisibile infini-
ties: non autem in alio, aliòque semper
spatio loci (haud enim est indifferens ad
hoc, & illud) ergo in eodem. Porro tales
morulæ imprimis ab aduersariorum non pau-
cis minimè admittuntur, & ob id aliam
explicandi temporis rationem ineunt. Deinde
impugnantur morulæ illæ, si fortè ab
iis concedantur, quia non possent non esse
perceptibiles: siquidem essent tot morulæ,
quot motus: nam non sunt plures motus, quam
vbiaciones: at quot sunt vbiaciones, tot sunt
morulæ, vt nostrum probat argumentum: non
sunt ergo plures motus verbi gratia descen-
dentis in centrum, quam morulæ, sed toti-
dem. Quin etiam morulæ durarent centies
millies, plusquam motus: his ergo perceptis,
quomodo non perciperentur morulæ: ergo sua-
deretur assumptum: etenim tempus imaginari-
um cuiusvis vbiacionis diuidi potest in parti-
culas centum mille, & vnam amplius: fac ergo
productionem primam vbiacionis, siue mo-
tum in ordine ad illam factum durare in vna
tantum particularum illarum, eamque totam
sibi vindicare; certè conseruatio eius vbi-
acionis, quæ non est motus, sed quies,
& mora in cæteris durabit: in illis enim du-
rabit vbiatio; cum non ergo vt primò pro-
ducta, necesse est, vt quatenus conseruata:
reliquæ autem particulæ, sunt centies mil-
lies plures, quam vna singulis earum æqua-
lis: tantundem ergo, & non minus exced-
entur motus lapidis à morulis, quas textit
inter descendendum. Eodem argumento pro-
bati potest, morulas non tantum centies-
millies esse plures quam motus, sed etiam
milliesmillies, & bismillies millies, & de-
ciesmilliesmillies, centiesque milliesmillies,
& sic in infinitum; cum nullus numerus
partium temporis, in quo durat quævis vbi-
cacio lapidis descendentis in centrum, assignari
possit, quo non sit assignabilis alia ma-
ior.

10. **S**ecundò impugnat eadem sententia: quia
duratio A. verbi gratia si est virtualiter in
infinitum diuisibilis, ac virtualiter extensa,
aut, quod perinde est, si æquivaleret infini-

tis durationibus minoribus, ac minoribus
semper, quin vlla sit, quam non sequatur
alia magis exigua; planè sequetur, has om-
nes, si Deus velit eas successiue, vt aiunt,
producere, pertransitum iri, atque finien-
das esse intra spatium durationis A, & si-
mul non pertransitum iri tum, neque esse
finiendas. Prior contradictionis pars suade-
tur: nequit finiri æqualium vnum aliquo
temporis spatio, absque eo quod in illo
finiatur aliud: vt si in decem instantibus
decem Angeli possunt à Deo produci, in
iisdem quidni decem homines ab eo pos-
sint produci: at duratio A finitur transacto
spatio temporis imaginarij, cui est suapte
natura commensuratum ergo finientur infini-
tæ illæ durationes, quæ durationis A ma-
gnitudinem, vt supponitur, non excedunt.
Rursus finito spatio, siue tempori imagi-
nario (de quo perinde ac si esset reale, in
hac, & quauis alia simili quæstione lo-
quendum) durationes omnes ei commensu-
ræ finiantur necesse est: at infinitæ dura-
tiones ei, quæ vocatur A, æquales, huius
spatio, siue tempori imaginario respondent,
& istud spatij, cui respondent, finitur;
aliàs ne finem habitura esset duratio A: om-
nes ergo, non obstante earum infinitate fi-
nem sortientur.

Posterior contradictionis pars suadet: id-
circo, iuxta aduersarios, partes horæ, si
sint diuisibiles formaliter in infinitum, pro
eo ac putauit Aristoteles, non poterunt vn-
quam finiri, quia nulla est, ad quam non
sequatur alia: idcirco etiam iidem putant,
instantia æternitatis ex parte post, quod
aiunt, nunquam exhaustum iri, aut ad fi-
nem peruentura, quia nullum eorum est
ex quo non renascetur aliud: at duratio-
num infinitarum, de quibus loquimur, nul-
la est post, quam non sit futura alia: non
ergo poterunt finiri in tota æternitate, ne-
dum in durationis A spatio. Rursus, si in-
finitæ illæ durationes finiri, ac successiue pro-
duci omnes possunt vnius horæ spatio (facia-
mus tantundem perseverare moram illam, si-
ue durationem A.) sane supplicia damnato-
rum vt vt, innumerabilia, eius horæ inter-
uallo poterunt exhausti: aduersarij enim non
distingunt nobiscum inter infinitatem, &
infinitatem: nec vnam putant esse posse pro-
portionalem, aut indeterminatam, aliam ve-
rò non proportionalem, & determinatam:
vnde, si determinato tempore aliquam infi-
nitatem dant posse finiri, necesse est id fa-
teantur de omni: quid autem magis ridicu-
lum, quam damnatos meritis peccatorum
suorum pœnas luere, nec tamen ultra ho-
ram eos puniri? Pari etiam ratione fieret, æter-
num illud gloriæ pondus bonis iustorum ope-
ribus debitum citissimè posse euanescere, intra
horam verbi gratia, & quamvis breue sit, atque
volatile, esse tamen ex condigno & non infra:
quo tamen quid magis absonum?

11. **T**ertio confutatur eadem opinio: quoniam
nullum est instans temporis imaginarij, in
quo homo (nisi dormiat, aut alia de causa
non aduertat) conuerit ad Deum, atque de pec-
catis suis resipiscere nequeat: at hoc, quod ad-
mittendum

mittendum esse mox constabit, non possunt admittere, nec tueri ij quibuscum cernimus: ergo, &c. Minor est perspicua: namque, cum tempus imaginarium, cui coexistit peccatum Petri verbi gratia, eiusque duratio indivisibilis A. infinitis partibus constet, atque in ea alia minores, & minores semper possint assignari; sane ex suppositione quod peccatum Petri, eiusque duratio illa indivisibilis sit in aliquibus, non potest non esse in omnibus, cum essentialiter respiciat omnes: post transactum ergo primum instans imaginarium illius temporis in ceteris omnibus necessario durat peccatum Petri: quoniam ergo in eis liberum & integrum illi esse potest, conuer- ti à peccato, atque in gratiam, & amicitiam Creatoris sui redire? Maior autem nostra suadetur autoritate concilij Senonen- sis in decreto fidei 15. ubi hæc habentur: *cum illa (scilicet gratia Dei) semper sit in prom- ptu; nec momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium, & pulsat &c.* Quo- rum autem staret in quouis momento ad ostium pectoris nostri, nisi in quouis ei possumus ape- rire, eique obtemperare; supra illud Apo- calypsis 3. *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad eum; ubi particula, si quis au- dierit vocem meam, & aperuerit ianuam, in- dicat utrumque esse in manu peccatoris præ- sente, atque aspirante gratia Dei.* Huc faciunt ea sacræ pagine loca, in quibus ad- struitur, quoduis instans vitæ nostræ esse, & viæ: ex eis enim fit, hominem in quo- uis instanti posse conuertere, ac vitam æter- nam promereri: perinde enim est, esse in via, atque talis meriti esse capacem: quod autem supponimus adstrui variis Scripturæ locis de via nostra, id non sine fundamen- to supponi exploratum est: quid clarius? (ut alia omittam testimonia) eo Ecclesiasti- ci capite 11. vers. 17. *ante obitum operare ius- titiam.* Et capite 16. vers. 19. *ante iudicium para iustitiam tibi.* Et vers. 22. *ne verearis usque ad mortem iustificari.* Certè quoduis instans vitæ nostræ est ante obitum, iudi- cium, mortem. Quando igitur ante hæc possumus mereri, & ad Deum conuertere profecto id possumus in quouis instanti nostræ vitæ & à Deo concessi nobis aui.

Dicent aduersarij, peccatorem, ex sup- positione quod semel talis sit in aliquo in- stanti temporis imaginarij, non posse à pec- cato suo ad Deum conuertere, pro ceteris in- stantibus, quibus prior duratio indivisibili- ter respondet, & quæ non minus quam prius illud respicit: ceterum hanc suppositionem esse consequentem: idem enim est, pecca- tum esse, seu durare in illo instanti priori, ac esse in sequentibus, quæ est durationis simplicitas, & indivisibilitas: proinde non posse peccatorem non esse talem in sequenti- bus, ex suppositione quod sit peccator in priore, est non posse statum peccatoris, eun- dem, & indivisibilem, non esse ex supposi- tione quod sit; quæ necessitas, & supposi- tio eam inferens est consequens, & non an- tecedens: unde ea non tollit libertatem an-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

tecedentem; & propriè talem, pro quouis eorum instantium in peccatore, ut conuer- tatur, si quidem velit conuertere à viis suis malis: quæ ratione Deus in quouis instanti liberè amat iustum; quia, licet ex supposi- tione quod semel eum amore prosequatur, non possit non semper prosequi, hæc tamen sup- positio est consequens determinationem di- uinæ voluntatis; eam, inquam, per quam in quouis instanti amat, & ab ea est pro- fusus indistincta; non verò illam antecedens: haud enim per alium actum amatur iustus à Deo in instanti A. verbi gratia, & per alium ex priori necessaria ratione deriuatum amatur in reliquis instantibus, sed per eundem, & indivi- sibilem.

Hæc solutio facili negotio, nisi fallor ré- felli potest. Namque ex sacri instrumenti pa- gina, id videtur apertè colligi, peccatorem, ex suppositione quod talis sit in quocunque instanti, nihilominus posse in sequenti ad Deum conuertere; ita ut verum sit dicere, *nunc Petrus verbi gratia non est peccator, & im- mediate ante fuit in statu peccati*: excellen- tia enim diuinæ gratiæ, eiusque utilitas in sacra Scriptura tantopere commendata in eo consistit, quod hominem alium, quam an- tè immediate fuerit, semper facere queat, scilicet de impio iustum, ac Dei filium: ac hæc vis diuinæ gratiæ tollitur de medio ab aduersariis. Confirmatur: fingamus, tem- pus vitæ, ac viæ, peccatori reliquum, esse decem durationum diuisibilium virtualiter, & non plurium: sane partes imaginarij tem- poris, cui omnes correspondent, sunt infi- nitæ; & nulla partium harum est, in qua præsto non sit gratia: quorum autem tan- ta, ac tam assidua gratiæ assistentia, si de- cem tantum temporis imaginarij partes sunt, in quarum vnâ possit aliter se habere, at- que in alia immediate, aut quasi immedia- tē, antecedenti: ad hoc quidni satis sit, de- cies tantum conferri gratiam, in principio ni- mirum existentie durationis cuiusvis earum, de quibus loquimur: esto enim postea sta- tum euanesceat, nec redeat, donec incipiat sequens duratio indivisibilis, eodem tamen modo peccatori proderit, ut est luce clarius: minuunt ergo aduersarij necessitatem gratiæ, aut sin minus gratiæ, certè continuationis illius, quæ ad ostium cordis nostri stat, ac pulsatur; cum tamen eam continuationem veluti necessariam, ac magnopere vtilem Scripturæ deprædicent.

Confirmatur, & declaratur iterum: quam- uis aduersarij utcumque possint explicare, quod homo in quocunque instanti imagina- rio possit potentia antecedenti non peccare; at nullo modo, quod ita possit à peccato con- uertere, cum tamen hoc posterius ex scri- pturis apertè colligatur, nec nisi iis nega- tis possit negari. Assumptum suadetur: et- nim peccatum actuale Petri verbi gratia, semel commissum sortitur primam durationem rea- lem, non indivisibilem omnino, sed po- tius virtualiter diuisibilem in infinitum; hoc est respondentem infinitis partibus temporis imaginarij: quamuis autem in

M x

quouis

quavis harum peccatum potuerit non committi, aut non fuisse factum, (vt sic dixerim) at in nulla, ex suppositione quod semel praecesserit, potest tolli: Petrum autem conuerti est eius peccatum tolli, ex suppositione quod praecesserit, non verò eum numquam peccasse: ad conuersionem ergo in nullo eorum instantium erit potentia antecedens.

16.

Quartò principaliter eadem sententia confutatur: quia eius Authores communiter negant durationes virtualiter indiuisibiles, & instantaneas, nulloque modo extensas: at quod sine admittenda suaderetur: tum, quia vbicationes prorsus indiuisibiles, & omni extensione destitutae dantur in rebus, vt suprà ostensum manet: similiter ergo, &c. Secundò, quia eas videtur admisisse Iulius primus in decreto, quòd habetur tom. 1. Conciliorum, post. 3. eius epistolam, & cuius etiam fit mentio dist. 3. de poenit. cap. talis. Verba Pontificis sunt isthaec: *quia dominus non solum temporis, sed etiam mentis inspector est, sicut latro vnius momenti poenitentia meruit esse in paradiso &c.* Vbi, cum momentum distinguatur contra tempus, planum est, sermone esse de momento, quod non sit tempus etiam breuissimum, aut morula quantumuis minima, adeoque de momento siue instanti tum formaliter, tum virtualiter indiuisibili. Eodem modo, quo Iulius loco suprà dicto locutus est, videtur loqui Caelestinus Papa epistola ad Episcopos Galliae cap. 2. ibi: *vera conuersio mente potius, quam tempore metienda est, dicente Prophetia: si conuersus fueris, saluus eris.*

17.

Denique durationes omnino indiuisibiles, & ne virtualiter extensae, ac diuisibiles nequeunt non dari, hoc ipso quod dentur instantia temporis omnino indiuisibilia, & nullatenus extensa: quod autem haec dentur, patet ex dictis cap. 1. huius tractatus, ac praesertim ex testimoniis Sanctorum Patrum, quae ibi allegauimus. Namque Augustinus ibi à nobis relatus ait, dari instantia, quae careant spatio, & quae nulla mora extendantur; Basilus ea dari, quae sint citra omnem temporis morulam, nullamque habeant interuallarem dimensionem; Isidorus ea, quae per nullam morulam produci possint; Hieronymus ea, in quae nulla possit cadere sectio, aut diuisio; Gregorius Nissen, eiusmodi, vt sint expertia omnis dimensionis. Damascenus eiusmodi, vt destituantur quantitate; ac tandem Anselmus talia; vt eorum vnum additum alteri facere non possit maius: at nihil horum cadit in instantia imaginaria, siue realia inflata, atque extensa virtualiter: non ergo haec, sed potius instantia omnino indiuisibilia adstruuntur à Patribus nuper per transennam memoratis, & cap. 1. latius allegatis.

CAPVT III.

Tempus corporis naturalis, & cuiusuis alterius rei constare ex partibus sine fine diuisis probabilius est.

18.

AT probatur in primis auctoritate Augustini lib. 6. de musica cap. 8. vbi sic loqui-

tur: *quamlibet enim brevis, syllaba cum & incipiat & desinat, alio tempore initium eius, & alio finis sonat: tenditur ergo & ipsa quantum locumque temporis interuallo, & ab initio suo per medium suum tendit ad finem. Ita ratio inuenit, tam localia, quam temporalia spatia infinitam diuisionem recipere: & idcirco nullius syllaba cum initio finis auditur.* Quae verba clariora sunt, quam vt egeant ponderatione. Pro eadem sententia allegari potest Basilus in Exameron homil. 1. vbi sic inquit; *rei prorsus deridicula videtur, vel mente concipere principium principij. Quisquis enim principium (temporis scilicet) bipertitò secat, is duo principia pro vno efficit, verius perquam multa, imò infinita, quando id quod semel dissectueris in alia rursum segmina intercedi potest.* Tum sic arguor iuxta Basilium, si principium temporis esset diuisibile, sane diuidi posset in infinitas partes: at quidquid sit de principio temporis, certe ipsum tempus est diuisibile: ergo non nisi in partes infinitas, ex doctrina magni Basilij. Fauet etiam Isidorus libro 13. Etym. capite 2. suprà citato, quatenus ibi distinguit partes temporis ab eius instantibus, siue indiuisibilibus: necnon Damascenus cap. 33. dialecticae eandem partium, & instantium temporis distinctionem innuens: atque Anselmus de incarnatione Verbi cap. 7. quatenus ibi docet, (pro eo ac retuli circa finem capituli primi huius tractatus) vnum instans additum alteri non posse facere maius, siue quantitatem temporis. Alios Patres breuitatis causa praetermitto.

19.

Et secundò sic argumentor à ratione. Tempus, seu continuum successiuum non constat ex solis instantibus formaliter, & virtualiter indiuisibilibus; nec etiam ex solis instantibus virtualiter diuisibilibus siue extensis instantibus, vt duobus capitibus praecedentibus manet ostensum: relinquitur ergo, vt constet partibus in infinitum diuiduis. Tertio ac postremo argumentor pro hac eadem sententia: quia iuxta eam facile possunt enodari, quae circa compositionem temporis difficultates in aliorum sententiis sunt prorsus inexplicabiles. Prior enim difficultas principalis aduersarios torquens in eo posita est, quod, sicut indiuisibilia continui permanentis, si sint immediata, haud possent non penetrari, & esse simul loco; ita etiam indiuisibilia continui successiuum nequeant non coexistere, & esse simul tempore, si sint immediata: at hoc, quod adeo difficile est, in nostra, & Aristotelica sententia facile componitur: siquidem ob id indiuisibilia temporalia sibi immediata deberent eo ipso esse simul, quia adaequatè essent immediata, & nihil vnius esset, quod non esset immediatum alteri, quae nimirum esset eorum indiuisibilitas prohibens dari aliud & aliud, in quibus partim esset proximitas & contiguitas, partimque non esset. Caterum partes quavis temporis ita sunt immediatae, vt earum immediatio non sit adaequata, sed potius in alterutra possit semper aliquid assignari, quod alteri non sit immediatum, sed alicuius partis proportionalis, ac minoris interstitio distinctum:

fitum: haud ergo est, cur partes temporis, licet aliquo modo immediatæ, penetrerentur inuicem, aut sint simul.

20.

Posterior impresentiarum difficultas, ac per plurimum fons est, qua ratione vnus motus alio velocior sit, siue, quod perinde est, cur extrema vnus motus magis inter se distent, quam extrema alterius, etsi vterque motus æquali tempore duret, nullisque sit morulis interruptus. Hæc autem difficultas, quæ quanta sit ex superioribus patet, admissa infinitate partium temporis & loci trifariam explicari potest. Ac primò quidem si dicamus, licet vtrumque mobile per horam verbi gratia continuo moueatur, & per æqualem partem motus quantum vnum spatij de nouo acquirit tantundem aliud etiam acquirit; ceterum plures esse partes horæ, in quibus testudo verbi gratia nihil spatij acquirit de nouo, quam sunt partes illæ, in quibus aquila denuò non acquirit aliquid de spatio loci: quia verò nulla pars horæ adeò exigua etiam ab intellectu diuino signabilis est, in qua adæquatè sumpta testudo nihil spatij acquirit, ita vt in ea penes aliquam illius partis particulam aliquid spatij non acquirit, partesque omnes horæ, in quibus nihil spatij acquirit, intermixtæ sunt partibus, in quibus aliquid acquirit spatij: idcirco testudo totius horæ spatio numquam quieuit, nullamque morulam propriè texit: mora enim, aut quies à motu tunc vsuuenit, cum signari saltem à Deo potest aliqua particula temporis, in qua adæquatè sumpta nihil spatij mobile conficit: quod verò in aliqua temporis particula solum inadæquatè sumpta nihil spatij conficiat, non tam mora, quam tarditas appellari debet. Porro ex infinitate partium temporis proficiscitur, quod numquam sit deuenire ad aliquam partem temporis adeo exiguam, vt in tota ea nihil spatij mobile acquirit; sicut ex infinitate partium continui permanentis oritur, quod deuenire non sit ad vllam partem adeò exiguam, vt se tota aliam immediatè tangat: de quo plura superius.

21.

Secundò id ipsum explicari in hunc modum potest. Quod vnum mobile velocius alio moueatur, maiusque spatium loci æquali temporis intervallo conficiat; oriri potest ex eo, quod vnum mobile plures eiusdem loci determinati partes indeterminatas motu suo non attingat, quas tamen mobile, quod tardius mouetur, motu suo attingit. Hinc tamen minime fit, mobile transire de loco in locum sine medio, aut de extremo in extremum saltibus etiam imperceptibilibus ferri: quia ad saltum qualemcunque de extremo in extremum sine medio necesse est, vt aliqua sit particula spatij, quam secundum se totam, & adæquatè sumptam mobile motu suo non attingat, neque possideat. At eiusmodi particula spatij secundum se totam à mobili intacta nulla est nec à Deo signabilis est; eo quod partes omnes spatij à mobili non possent infinities intermixtæ, & variegatæ sint partibus spatij, quæ à mobili per motum possidentur: sic, vt iterum atque iterum dixi, nulla pars continui permanentis ab alia, aut è conuerso secundum se totam tangitur, sed signata quauis partim tangitur, partimque

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

non tangitur ab alia. Hæc autem infinita alternatio partium spatij, quarum alia à mobili tangantur, alia verò non tangantur admissa infinitate partium spatij, rectè percipitur; ea vero negata, imperceptibilis est. Vno verbo: quod aliquis motus alio velocior sit, proficiscitur ex eo, quod in ordine ad tempus, aut in ordine ad locum, aut certè in ordine ad vtrumque vnus alio rarior sit; sicut è contrario, quod vnus alio tardior sit: quamobrem iure merito P. Hurtado in præsentī asseruit, difficultatem de velocitate, & tarditate motus valde affinem esse difficultati de raro, & denso.

22.

Ex his colligitur primò, qua ratione explicanda sit inæqualitas illa, qua mouentur vnus rotæ diuersi circuli inter se vniti, & quæ cæteris quidem explicatu difficilior est: siquidem in primis circulus inferior rotæ potest non quiescere moto superiori, non obstante vnus maiori velocitate quoad motum, quam alterius: quidni enim hoc habeant commune; cum cæteris omnibus mobilibus inæquali velocitate præditis? at disruptio rotæ dum mouetur, ex eo solum oriri potest, quod aliquis eius circulus non quiescente, sed moto altero; suppositis ergo nostris principiis, non est cur rota circulariter mota debeat disrupti, aut frangi. Deinde motus rotæ non fit præcisè in instanti; vt plures aduersariorum arbitrantur, sed in tempore: quare non est, cur circulus inferior rotæ in orbem agitatæ eandem quam antea proportionem cum superiori non feruet, sicut oportet, vt rota nè flectatur quidem.

23.

Colligitur secundò, velocitatem, & tarditatem motus, si in eo consistent, quod motus modò pluribus, modò paucioribus localis spatij partibus correspondeat, esse modo realiter distinctos à motu ipso, cum huius duratio, per quam tempori labenti coexistit, ab eo non distinguui ex natura rei non possit. Quod si in eo consistent, quod motus per vbicationes à se successiue productas modò pluribus, modò paucioribus spatij partibus æquali tempore correspondeat sanè velocitas, & tarditas à motu ipso nullo modo distinguantur, cum motus se ipso essentialiter tales talisque vbicationes producat, & modò maius modo minus spatium radicaliter respiciat, eique commensus. Colligitur tertio, motum posse esse velociorem, & velociorem in infinitum syncategorematicè, eademque ratione tardiozem sine fine esse posse: cum velocitas, & tarditas motus desumantur in ordine ad partes loci, aut temporis; ad partes, inquam, indeterminatas, quibus motus commensus, aut non commensus est; partes autem hæc plures, aut pauciores in infinitum esse possint ob infinitatem temporis & loci; sanè motus velocior aut tardior in infinitum esse poterit.

Colligitur quartò, contra Cætanum tom. 3. tract. 2. de infinitate Dei, sed quoniam, & contra nostrum Ouiedo controu. 14. physic punct. 7. numero 8. motum aliquem diuinitus posse esse summè velocem, absque eo quod mobile rarefiat aut intumescat, siue, quod perinde est, absque eo quod in duobus locis, vnquam collocetur; nimirum si mobile motum omni-

M 3

bis

bus partibus etiam indeterminatis temporis, & loci commensum exerceat, nullaque particula vtriusque sit, in qua etiam adæquatè sumpta plus spatij denuo non conficiat. Ceterum ne diuinitus quidem motus aliquis summe tardus esse potest: quia, cum tarditas sita non sit in eo, quod mobile in toto tempore, vel in aliqua illius parte adæquatè sumpta, nihil spatij de nouo adipiscatur: sed in eo, quod absque vlla morula, aut quiete semper minus spatij de nouo comparet; sane cum spatium necessario sit minus, & minus in infinitum, & ad minimum diuinitus etiam deuenire non sit, ad motum tardissimum, & quo alius tardior non sit, ne de potentia etiam absoluta gradus esse poterit.

24. Atque hæcenus duo priores modi explicandæ velocitatis, & tarditatis motuum localium. Alium ordine tertium addo, nulla ratione supponentem, quod partes aliquæ temporis etiam inadæquatè transeant sine motu eis respondente; nec quod similiter partes vllæ spatij localis motu non attingantur etiam inadæquatè. Namque, uti nullum punctum superioris circuli est, cui non correspondeat aliud in inferiori circulo; & tamen non sequitur, æquales esse numerum punctorum vnius, ac numerum punctorum alterius, nec per consequens dari inter ipsos circulos æqualitatem, quia videlicet, ut explicui tractat. præced. capite 3. & alibi sæpè, inter vnum infinitum, & aliud non potest esse stricta, & positiva æqualitas: uti, inquam, hæc ita se habent, ita optimè stat, nullam esse partem etiam indeterminatam temporis in qua mouetur æquila, quando conficit spatium vnius leuæ verbi gratia, cui non correspondeat alia, in qua etiam adæquatè sumpta moueatur testudo; & tamen non esse æquales positivè partes temporis mensurantis motum alterius, neque durationem motus, quo altera pertransit spatium illud leuæ, esse æqualem durationi motus, quo altera tantundem spatij peragit, aut habere tot partes determinatas: nimirum ob id, quod infinita non seruent proportionem, nec dici possint inuicem æqualia.

25. Quin etiam, esto daremus, tot esse partes indeterminatas temporis imaginarij respondentis motui vnius, ac motui alterius, & veram esse inter vtrasque æqualitatem, haud propterea sequitur, vnum motum esse quoad durationem æqualem alteri, aut, quod perinde est, æquè velocem, aut tardum: quia scilicet quantitas discreta seu numerica, & quantitas continua, siue quoad tempus, non seruant proportionem, nec ex illius æqualitate huius rei inferitur æqualitas. Deinde contrario sumamus motum æquilæ durante per spatium quadrantis horæ verbi gratia, & motum testudinis æqualiter etiam durante: sanè nulla pars loci etiam indeterminata est, quam altera tangat etiam adæquatè, cui non respondeat alia pars loci, quam altera etiam motu suo adæquate pertingat: & tamè non sequitur, tot positivè partes esse loci ab vna acquisiti per motum illum, quot sunt partes, quæ acquiruntur ab alia per æqualis temporis motum; aut spatium loci, quod altera percurrit, esse æquale spatium loci, quod altera peragit: nimirum ob infinitatem partium loci, & improprietatem quan-

titatis discretæ, & numericæ ex vna parte, & quantitatis localis, atque continuæ ex alia, ut in simili proximè manet explicatum.

26. At inquires: ut inter infinitum, & infinitum partium indeterminatarum temporis, ac etiam loci potest dari positiva inæqualitas, ac plus, & minus; quidni & æqualitas: at inæqualitatem illam superius in duabus solutionibus præcedentibus admisimus: cur ergo renuimus æqualitatem, de qua sermo est, admittere in præsentem? Respondeo eam inæqualitatem re vera non esse à nobis superius admissam: quod enim diximus, plures partes indeterminatas temporis esse, in quibus testudo verbi gratia nihil spatij de nouo acquirit, quam partes, in quibus æquila definit nouum aliquod spatium acquirere; intelligendum est, non de pluralitate formaliter, ac strictè tali, sed tantum materialiter, & arguitur tali: quia nimirum si segregarentur partes temporis, in quibus testudo veluti cessat à motu, & non essent intermixtæ semper motibus, & similis fieret segregatio partium temporis, in quibus veluti non mouetur æquila; sanè priores partes longiorem moram, maiorisque dimensionis quietem efficerent, quam posteriores. Et hac etiam eadem ratione explicandum est, quod posuimus, partes leuæ verbi gratia plures relinqui intactas ab vno mobili, velociori scilicet, quam, quæ relinquuntur intactæ ab alio, quod tardius mouetur.

CAPVT IV.

Soluntur argumenta contra nostram, ac veriorẽ sententiã de compositione continua temporis.

27. Arguunt primò aduersarij: Si tempus constaret partibus in infinitum diuiduis, hora verbi gratia haberet infinitas partes inuicem distinctas, inuicemque æquales, quarum vna esset post aliam, sanè partes vnius horæ nunquam pertransire possent; cum ideo durationes extituræ per totam æternitatem à parte pòst nunquam pertransiri queant, quia aliæ post alias infinitæ sunt. Confirmatur primò: Nulla pars horæ est vltima: signata enim quacunque, alia, saltem minor in ea contenta, vltior signari potest: nunquam igitur hora finiri poterit; nihil enim nisi per vltimum sui finiri potest. Confirmatur secundò: Nulla pars horæ est immediata, & proxima instanti terminatiuo horæ: ergo ad instanti initiatiuo horæ ad eius instans terminatiuum nunquam deuenire erit. Consequentia perspicua videtur: qua enim ratione ad instans terminatiuum horæ gradus esse potest, nisi per partem ei instanti proximam, & immediatam? Antecedens suadetur: quia signata quauis horæ parte, alia saltem communicans, siue indeterminata ei instanti immediatior, & propinquior assignari potest.

28. Respondeo: Quantitas discreta, & Arithmetica partium temporis longè diuersæ rationis est à quantitate continua, & Mathematica ut tract. præced. cap. 4. in simili latè ostendi: quare, licet vna sit infinita simpliciter, non propterea alia etiam simpliciter infinita, & æternitatis æmula esse

esse debet. Quod autem partes, seu durationes æternitatis, nunquam pertransiri possint, non ideo est, quia utcumque infinitæ sunt, sed quia ita infinitæ sunt, ut quævis earum magnitudinem, & quantitatem à nobis signabilem sortiatur, & vocabulo horæ, semihoræ, quadrantis, aut alio simili nobis noto appellari, & discerni possit: tempus autem hac infinitate partium non gaudet: quare non est, cur non possit pertransiri.

29.

Ad primam confirmationem dicendum est: quod finitur, & desinit esse intrinsecè, debet finiri, & desinere esse per ultimum sui esse, secus vero quod finitur, & desinit esse extrinsecè: cum ergo partes horæ finiantur, & desinant esse solam extrinsecè, ad instar cæterarum rerum successuarum; sanè per ultimam sui partem desinere, aut finiri non debent: atque adeo, quamvis ultima parte destitutæ sint, adhuc finiri, & desinere poterunt. Vel aliter: hora habet partes, quarum una ultima sit, hoc est, qua alia adæquatè distincta vltior non sit: licet enim quævis pars etiam ea, quæ velut vltima designatur, vltius diuidua sit in alias, aliàsque; cæterum omnibus iis partibus simul sumptis nihil in tota hora vltius est: quod satis est, ut possit hora finiri. Ad secundam confirmationem dicendum est: sicut progrediendo dignitatis ordine à creaturis magis, & magis perfectis in infinitum, tandem deuenire est ad Deum, est nulla creaturarum possibilitum perfectissima, Deo immediate sit; ita similiter progrediendo successionis ordine ab vnīs partibus horæ ad alias, tandem deuenire erit ad instans terminatum horæ, tametsi huius nulla pars vltima, aut instanti terminatio immediata sit. Aut aliter: non solum aliqua pars horæ, verum etiam tota hora collectiue sumpta eius instanti terminatio immediata est negatiue quidem, eo quod inter horam collectiue sumptam, & illud instans nihil mediet, aut possit: qua ratione tota creaturarum collectio Deo immediata est, eo quod inter eam collectionem, & Deum nulla creatura mediare possit: hæc autem immediatio negatiua sufficiens est, ut à primo instanti horæ ad eius vltimum instans gradus sit.

30.

Arguunt secundo aduersarij: si hora infinitas partes, etiam indeterminatas, infinitaque instantia complecteretur; sanè actus amoris Dei ab aliquo elicitus viatore, & per horam durans, per infinita duraret instantia: infinitas ergo portiones determinatas gloriæ mereretur, ac proinde esset simpliciter infinite meritorius: quo quid magis absurdum? Antecedens perspicuum est: consequentia suadet: quia actus amoris Dei durans per vnicum instans præmiū determinatum, atque adeo determinatam portionem gloriæ meretur: ergo si duraret per infinita, infinitum præmiū determinatum, infinitasque portiones determinatas gloriæ mereretur.

31.

Respondeo, continuationem liberam amoris Dei exigere determinatam temporis quantitatem, & moram, in qua, & non pauciori fiat, & in qua, quod consequens est, sic non fieri possit, ut, si semel in ea fiat, non possit in tota illa non fieri, ac reperiri. Nōne visus noster ita comparatus est, ut propter imbecillitatem suam non possit obiectum vllum videre, nisi in certa aliqua magnitudine, & quantitate: at libertas nostræ voluntatis est etiam valde imbecillis. Nōne etiam motus omnis localis certum quoddam tem-

poris petit interuallum, in quo, & non minori exerceri possit, & intra quod non patitur sisti: at actus voluntatis nostræ in fieri, & in conseruari est quidam motus. Denique actus amoris Dei postquam est primò productus, non potest statim destrui, sed per aliquod spatium temporis debet conseruari: sicut ergo talis actus statim à prima sui productione vendicat sibi certam moram, cur non etiam eius liberæ continuationes per horæ spatium multiplicem moram, nullamque non determinatam sibi asserant? id suadet: quia aliàs in proxima, aut quasi proxima parte indeterminata temporis primam eius actus productionem sequente, & eius destructionem mensurante posset alius nouus amor Dei à voluntate produci, & post hunc alius, & sic voluntas posset in tota hora infinitos actus amoris Dei producere: quod tamen est euidenter falsum, & contra experientiam.

32.

His constitutis, fac verbi gratia centum actus amoris Dei, & non plures inter se distinctos in spatio vnus horæ elici posse à voluntate nostra: profectò totidem habebit hora morulas, seu partes determinatas, in quibus eadem voluntas possit actum amoris Dei, quem primò produxit, liberè continuare: igitur si in toto vnus horæ spatio ea continuet liberè vnum, eundemque amorem Dei, non nisi centum erunt eius amoris continuationes liberæ: ergo centum exercitia libertatis: ergo centum merita determinata: ergo centum partes determinatæ præmij: ergo non infinitæ; imo nec finitæ in maximo aliquo, & incredibili numero. Atque hinc in forma ad difficultatem argumenti facile cuius constabit.

33.

Arguunt tertio aduersarij: partes temporis non vniuntur, nec continuantur inter se: at sine vnione haud potest esse vlla diuisibilitas: eaque tantum diuidi possunt, ac separari, quæ vniuntur: partes ergo temporis non sunt diuisibiles sine fine, sed potius instantia prorsus indiuisibilia. Maior probatur, quia, quæ non sunt simul, haud possunt continuari, siue verè vniri: aliàs forma anteaquam existeret, vniri posset materia: at partes temporis non sunt simul, sed vna succedit alij, non ergo verè vniuntur, aut continuantur inuicem. Confirmatur: quia, est vniiri possint inuicem partes temporis, eadem redit difficultas: siquidem posset Deus partes omnes temporis sine vnionibus conseruare: tūc autem non essent diuisibiles vllō modo, nedum sine fine, ut proximè manet ostensum: essent igitur indiuisibilia, siue instantia: eiusmodi ergo etiam sunt, dum vniuntur; cum vnio non variet naturam partium, sed eas naturaliter inuariatas inuicem copulet.

34.

Huic argumento, & eius confirmationi multum deferunt aduersarij. Sed immeritò: nam quod ad argumentum attinet, eius maior est haud dubiè falsa: quid enim falsius, quam partes temporis non vniri inter se? Atque in primis quod vniuntur patet ex B. Damasceno in dialect. cap. 33, ibi: *Sed & tempus mensuratur in præteritum, & in futurum, & habent particula ipsius communem terminum copulantes ipsas nunc*: Quo eodem modo loquuntur alij Patres. Neque non id ipsum patet; quia, si qua ratione partes temporis verbi gratia motus cælestis verè non continuarentur, nec vnirentur inuicem; maxime quoniam, quæ non sunt simul tempore Physicè, & verè vniri non possunt; partes autem temporis simul tempore non sunt, cum successiuæ sint, aliæque sequantur alias; at hæc

ratio, qua nituntur aduersarij; & qua negatam à nobis maiorem probant, nullius momenti est: quia, quæ simul loco non sunt, ubi in locis immediatis sint, Physicè vniri, ac verè continuari possunt: ergo etiam quæ simul tempore non sunt, ubi in temporibus immediatis sint, Physicè poterunt vniri, atque continuari. Confirmatur, atque obiter eleuatur exemplum; quo vtuntur aduersarij: si ad vnionem informatiuam, qua videlicet forma vnitur materiæ, spectes; eius extrema non

possunt non esse in eodem loco, & in eodem tempore: at vnio continuatiua leges vnionis informatiuæ quoad similitudinem loci non seruat: cur ergo eas seruare debeat, quoad similitudinem temporis? Porro autem ad confirmationem argumenti in simili factum est satis suprâ tract. 7. c. 4. circa medium. Cætera etiam argumenta, quæ fieri possunt, contra nostram, & Aristotelicam compositionem temporis, facillè solui possunt ex dictis eodem tractatu.



LIBER QVARTVS

DE

Causis Corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

DE ESSENTIA CAVSÆ IN COMMUNI.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit Essentia Causæ in Communi.

1.



AVSA à P. Suarez 1. Metaph. disp. 12. sect. 2. num. 4. & alijs ita solet definiri. Causa est principium per se influens esse in aliud. Pro cuius definitionis luce, & intelligentia objicies contra eam primò. Potest aliquid esse causa sui quoad secundum esse, ac se per actionem secundariam producere: qua ratione Christum in Eucharistia sui ipsius causam esse ipsemet P. Suarez asserit: at nihil à se ipso aliud est: ergo de ratione causæ, non est, vt esse in aliud influat. Objicies secundò. Pater Aternus influit esse in personam filij à se aliam, seu realiter distinctam: at eius causa non est: ergo, &c. Minor perspicua est: tum quia P. Latini Patrem Aternum filij causam esse omnes negant, vt P. Hurtadus in præsentì testatur: tum, quia si qua causa filij esset, maximè efficiens: at Pater Aternus filium efficere, siue facere nequit: iuxta illud symboli; *genitum, non factum*.

2.

Objicies tertio. Pater creatus v. g. Petrus est causa filij sui, Pauli scilicet, quem genuit: & tamen cum generans, & producus non influit esse in aliud, cum Paulus ab eo genitus non sit aliud ab illo, sed dumtaxat alius: vt perspicuè docet B. Damascenus cap. 9. dialect. ibi: *Sciendum, quod quæ natura differunt, aliud, & aliud dicuntur. Dicimus enim, aliud est homo, & aliud est equus: aliud enim secundum naturam: est enim alia species homi-*

nis, & alia equi. Numero autem differentia (id est hypostases) alius, & alius dicuntur. Dicimus enim, quoniam alius est Petrus, & alius Paulus: non autem possumus dicere, quoniam aliud est Petrus, & aliud Paulus, quia falsum dicimus. Natura enim vniuersa sunt, non sunt vnum numero. Hactenus ille.

Verum ad primum respondeo. In primis adeò constans non est, aliquid sui ipsius causam esse posse: & si de causalitate immediata sermo sit, oppositum longe probabilius est, vt ostendetur in loco. Deinde eo modo, quo aliquid se ipsum causat, si se causare potest, eo, inquam, modo, à se ipso distinguitur: siquidem se quoad secundum tantum esse, siue quoad secundam actionem causat: actio autem secunda non minus quàm prima distinguitur, & est aliud quid à re, quæ per eam à se ipsa causatur. Ad secundum respondeo, particulam, *aliud*, in definitione causæ supponere pro alietate, siue distinctione, quæ omnem identitatem realem etiam mediatam, siue in tertio excludat: at filius ita distinguitur à Patre aternò, vt ea distinctio omnem identitatem realem etiam in tertio excludat, eo quod vterque in eadem essentia, & natura realiter conueniant, atque indentificentur inuicem: proinde non est, cur alter respectu alterius censeretur aliud, propriè loquendo, & prout particula, *aliud*, modò sumitur.

Enimuero P. Hurtadus in præsentì alio nomine Patrem aternum filij causam esse non posse tuetur: nempe, quia causa debet esse prior natura suo effectu: at Pater aternus prior natura filio esse nequit, quoniam prioritas naturæ est prioritas non realis, sed rationis: atque adeo quod prius natura alio est, sine eo concipi poterit: cum ergo Pater aternus sine filio existente concipi nequeat, propterea quod generatio actiua filij de essentia